

E libris  
**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

**a. 1857 hereditate relictis.**

*J. q. 261.*

9

DISSERTATIO PHILOLOGICO-CRITICA

QUA

SENTENTIA IOANNIS CLERICI

DE

ARTE POETICA HEBRAEORVM

PROPONITVR ET ILLVSTRATVR.

---

DEFENDENT

*DIE XIII AVGVSTI A. O. R. MDCCXLIV*

IN AVDITORIO MAXIMO

*ATHENAEI GEDANENSIS*

**M. GOTTLIEB WERNSDORFF**

LINGVAE GRAECAE ET ORIENTAL. PROF. PVBL.

AC

RESPONDENS

**MICHAEL GOTTLIEB TREVGE, MARIAEB. BORVSS.**

AMPLISSIMI DICASTERII AC VOEGEDINGIANVS ALVMNVS.

---

*G E D A N I,*

TYPIS THOMAE IOANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATVS  
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.



DISSERTATIO PHILOLOGICO-CRITICA

SENTENTIA JOHANNIS CLERICI

ARTE POETICA HEBRAEORUM

PROBATA ET DEFENSITA

DEFENDIT

DIE XIII AUGUSTI A. O. R. MDCCXLII

IN AULA PUBLICA

ATHENAEI GEDANENSIS

M. GOTTLIEB WERNSDORFF

LINGVAE GRAECAE ET ORIENTALIS PROF. PUBL.

1742

RESPODENS

MICHAEL GOTTLIEB FRIEDEL

PHILOSOPHIAE PRAEF. PUBL. GEDANENSIS

GEDANI

TIPOGRAPHIAE JOHANNIS SCHREIBERII, MAGNI SENATVS

ET ATHENAEI TYPOGRAMI



INCLVTAE  
REI GEDANENSIS PVBLICAE  
ALTERIVS PATRIAE SVAE  
MAGNIFICO  
SENATVI  
ILLVSTRI  
DOMINO  
BVRGGRABIO:

PER - MAGNIFICIS, MAGNIFICIS,  
GENEROSIS, MAXIMEQVE  
STRENVIS,

DOMINIS  
PRAESIDI  
PRAE - CONSVLIBVS  
CONSVLIBVS  
SYNDICO

PATRIAE PATRIBVS  
DE GEDANO GLORIAM  
IMMORTALEM MERITIS.

X

PRAE-

PRAENOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
SPLENDIDISSIMI  
DICASTERII MEMBRIS  
DOMINIS  
SENIORI CON-SENIORI  
ET  
ASSESSORIBVS RELIQVIS  
IVSTITIAE ARBITRIS  
GRAVISSIMIS, MERITISSIMISQVE.  
SUMME REVERENDIS EXCELLENTISSIMIS  
PLVRIMVM REVERENDIS  
REVERENDIS  
SANCTIORIS ORDINIS MEMBRIS  
DOMINIS  
SENIORI, PASTORIBVS  
ET  
DIACONIS  
SACRAE REI  
ADMINISTRATORIBVS VENERANDIS.  
EXCELLENTISSIMIS AC DOCTISSIMIS  
AMPLISSIMI  
COLLEGII PROFESSOR. MEMBRIS  
DOMINIS  
RECTORI, INSPECTORI  
ET CAETERIS  
VIRIS CLARISSIMIS  
PRAECEPTORIBVS SVIS AETERNVM COLENDIS.  
EXCEL-

EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
D A V I D I K A D E  
MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO FELICISSIMO.

PLVRIMVM REVERENDO, REVERENDIS  
DOCTISSIMIS

D O M I N O  
G O T T L I E B R I C H T E R  
PASTORI AD AEDEM S. MARIAE LONGE DIGNISSIMO  
E FONTE SACRO SVSCEPTORI, ANIMAEQVE  
CVRATORI, PIA MENTE SVSPICIENDO.

D O M I N O  
M. NATH. FRIEDR. KAVTZ  
DIACONO AD AEDEM S. IOHANNIS OPTIME MERITO.

D O M I N O  
G E O R G . F R I E D R . C O S A C K  
DIACONO AD AEDEM S. CATHARINAE DIGNISSIMO.

NOBILISSIMIS ET SPECTATISSIMIS  
D O M I N I S  
AD SACELLVM S. MARIAE  
A N T I S T I T I B V S  
SPLENDORE ET DIGNITATE INSIGNIBVS.

NOBILISSIMO DOCTISSIMO  
D O M I N O  
I O H . N I C O L . O E H M C H E N  
REIPVBL. GEDANENSIS SECRETARIO SPECTATISSIMO.  
ITEMQVE

ITEMQVE  
NOBILISSIMIS DOCTISSIMIS  
DOMINO  
CAROLO ERNESTO  
NIMSGART

ET  
DOMINO  
CHRISTIANO HARTM.  
A SCHROEDER

PATRICIIS VRBIS HVIVS LONGE FLORENTISSIMIS  
MAECENATIBVS  
PATRONIS ATQVE FAVORIBVS  
OMNI VENERATIONIS, PIETATIS ET OBSEQUII  
CVLTV SVSPICIENDIS, VENERANDIS  
COLENDIS

DISSERTATIONEM HANC PHILOLOGICAM  
IN DEVINCTISSIMI ANIMI ARGV-  
MENTVM MAIOREMQUE STVDIO-  
RVN SVORVM COMMENDATIONEM  
CONSECRAT, DICAT, OFFERT

TANTORVM NOMINVM

CVLTVR SVBMISSISSIMVS  
MICH. GOTTL. TREVGE.





## I. N. D.



Inter libros Veteris Testamenti, autoritate divina instructos, reperiri quosdam poetica conscriptos arte, nemo fere est qui ignoret. Judæorum Sapientes eorum nominant tres, אִיּוֹב *Jobum*, מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה *Proverbia Salomonis*, & תְּהִלִּים *Psalms*, eosque symbolico compendio seripcionis libros אֲמֹת nuncupant. Vetus ecclesie Patres, horumque autoritatem secuti recentiores quidam quinque numerant, dum illis tribus addunt קהלת *Ecclesiasten* ac שִׁיר חַשְׁרִיִּים *Canticum Canticorum*. Quidam loco sexto adjiciunt *Threnos Jeremie*: ne memorem breviora carmina, quæ historicis ac propheticis libris sparsim interjecta cernuntur.

Illud ambigitur & inter eruditos disceptatur, eaq̃vã randem in re nervi artis illius poeticae consistant, quãnam ejus sint leges, qui numeri, quis modus, quãve ratione discere-

A

1 Vid. B. JO. CHRISTOPH. WOLFFII biblioth. Hebræa, Tom. II, pag. 92 & Ven. CARPZOVII introductio in libros poeticos cap. 1. §. 1.

discrepet ipsa ab oratione profusa. Inter priscos Hebræos nulla ætas Horatium aut Aristotelem quendam tulit, qui de poëtica suæ gentis exposuisset: in ipsis illis libris nihil invenitur, quod naturam ligatæ orationis edoceat; quin etiam ne vocabulum quidem extat, quo vel numerus, vel pes, vel versus significetur. Unde apparet, integram illam quæstionem conjecturis stare, nec facile in ullam partem quicquam, quod omni dubitatione careat, definiri posse. Nil tamen intentatum nostri Philologi reliquere, sed, quæ naturalis est mortalibus cuncta explorandi cupiditas, studiose in adyta artis illius penetrare & leges poëticos Hebrææ indagare allaborarunt. Verum, ut in tam obscuris incertisque rebus usu venire solet, pro ingeniorum iudicii quæque sui varietate tot diversissimarum sententiarum divortia in medium protulere, mira conjecturandi libertate, ut ex tam enormi opinionum diversitate nihil facilius colligeres, quam a nemine omnino verum & profundo erutum hucdum esse, sed penitus, qualisnam fuerit illa vetus poësis, nesciri.

Quidam nodum, quem solvere arte non possunt, gladio quasi secant & maxime incredula audacia omnino negant, Hebræis ullam numeros ponendi scientiam fuisse, ac libris illis, quos vulgo poëticos venditemus, quicquam poëticum præter nomen inesse. Quorum temeritati illi non valde irascuntur, qui meminert, omnem illam opinionem de librorum, quos nominavi, poëtica scriptione non nisi Judæorum commemorationibus, a majoribus suis per manus quasi traditis, niti; quibus si fidem demseris, omnem causam litigandi & quæstiunculas de poësi Hebrææ movendi sustuleris.

Alii, <sup>2</sup> qui esse vere libros numerorum legibus ligatos

<sup>2</sup> Ut B. DANNHAUERUS de sancta spiritus sancti poësi pag. 126. Vid. Ven. CARPZOVIVS loc. cit. §. 9. pag. 21. & B. WOLFFIVS ibi pag. 100.

gatos credunt, ingenue tamen fatentur, siue ex docta quadam ignorantia, siue ex honesta quadam verecundia, siue, ut labore molesti examinis superledeant, ex inertia quadam, se cum Augustino <sup>3</sup> nescire, quoniam pacto libri isti a libris numeri expertibus discrepent, & artem poeti- cam Vet. Test. inter deperditas artes & nostris seculis ignoratas referunt: quasi de mysterio quodam fidei ageretur, de quo æque cum Augustino dici deberet illud: rem tenemus, modum nescimus.

Horum equidem sinceritatem magis admiror, quam imitandam censeo: & si imitor, non nisi cogente ita necessitate & verum exprimente vel invito, sincerus sum. Namque cur nescire, pudens prave, quam discere malletm.

Verumtamen, cum pauci sint, qui, quod nesciunt, nescire se profiteantur, non admodum miror, adeo multos esse, qui, cum nihil de poeti Hebraica sciant, tamen eam scire se nobis persuadere conantur. JOSEPHUS, antiquitatum Hebraicarum scriptor laudatissimus, audacissima confidentia pronuntiat, Hebræos iisdem modis ac numeris, quibus Græci vates uterentur, usos esse, librosque istos partim Hexametris, partim Jambis, partim Pentametris, partim aliorum pedum modis decurrere. <sup>4</sup> In

A 2

ejus

<sup>3</sup> AUGUSTINUS epistola CXXXI. OO. Tom. II. pag. 648. ait: *quibus numeris consistant versus Davidici, non scripsi, quia nescio; certis tamen constare numeris credo illis, qui illam linguam probe callent.*

<sup>4</sup> JOSEPHUS *antiquit. Judaic.* lib. II. cap. 7. pag. 68, loquens de eucharistico Mosis post deletos Ægyptios, ait: *Μωϋσης ᾠδὴν εἰς τοῦ Θεοῦ ἐγκωμίων τε καὶ τῆς εὐμενίας εὐχαριστίαν περιέχουσαν, ἐν ἑξαμέτρῳ συντίθησι.* Et lib. IV. cap. 9. pag. 130. de Mosis cantico magno: *ἔπειτα ποιήσιν ἑξαμέτρον ᾠτοῖς ἀνεγνώ.* Et libro VII. cap. 10. pag. 242. de Davide scribit: *ᾠδὰς*

ejus sententiam more suo pedibus eunt ORIGENES, EUSEBIUS PAMPHILI, HIERONYMUS, hujusque plitraci

ῶδας εἰς τὸν Θεοῦ καὶ ὕμνους συντεταχάτο, μετὰ ποιικιλίας, τὰς μὲν γὰρ τριμετρὰς, τὰς δὲ πενταμέτρους ἐποίησε.

5 EUSEBIUS, *preparatione evangelica* lib. XI. cap. 5. pag. 514. Ἴβεν δ' ἂν αὐτοῖς καὶ ἑμμετροὶ ποιήσεις, ὡς ἡ μεγάλη Μωσέως ᾠδὴ, καὶ τὰ Δαβὶδ ὁ ΠΙΗ ψαλμοί, τὰ καλεσμένω παρ' Ἑλλήνων ἠρώα μετῶ συντεταγμένοι. Φασὶ γὰρ ἕξαμετρα εἶναι ταῦτα δι' ἑκαταδὲκα συλλαβῶν πεποιημένα. Καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς εἰρηγή, δι' ἑπτῶν λεγεται τριμετρῶν τε καὶ τετραμετρῶν κατὰ τὴν οἰκίαν αὐτῶν συγκριθεῖσθαι φωνῆν.

6 HIERONYMUS *prologo chronici Eusebiani* pag. 3. edit. Scaliger. „Quid Psalterio canorius, quod in morem nostri Flacci & Graeci „Pindari nunc jambico currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur? Quid Deuteronomii & „Esaiae cantico pulchrius? quid Salomone gravius? quid perfectius Job? quae omnia hexametris & pentametris versibus, ut „Iosephus & Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt.“ Idem Stridonensis monachus *epistola CLV. ad Paulam Urbanam*, OO. Tom. VIII. pag. 300. edit. Mariani Victorii scribit: „Verum „debes scire, in prioribus psalmis, singulis litteris singulos versiculos, qui trimetro jambico constant, esse subnexos, inferiores „autem tetrametro jambico constare, sicuti & Deuteronomii canonicum scriptum est. - - Proverbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum, quod tetrametro jambico supputatur, „ab eo loco, in quo ait: mulierem fortem quis inveniet, &c., Item *epistola CIII. ad Paulinum*, OO. Tom. III. pag. 673. D. ait: „Job prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur.“ Haec Iuluculentius explicat *praefatione CXIII. in librum Jobi*, Tomo III. pag. 690. E. „A principio voluminis usque ad verba Job apud Hebraeos

psittaci ISIDORUS HISPALENSIS <sup>7</sup> & RABANUS  
MAURUS, <sup>8</sup> itemque e recentioribus quodammodo  
A 3 BUX-

„bræos prosa oratio est. Porro a verbis Job, in quibus ait: Pe-  
reat dies, in qua natus sum; usque ad eum locum, ubi ante  
finem voluminis scriptum est: ago poenitentiam in cinere & fa-  
villa; hexametri versus sunt, dactylo spondæoque currentes, &  
propter lingvæ idioma crebro recipientes & alios pedes non ea-  
rundem syllabarum sed eorundem temporum. Interdum quoque  
rhythmus ipse dulcis & tinnulus fertur numeris metri solutus,  
quod metrici magis quam simplex lector intelligunt. A supradi-  
cto autem versu usque ad finem libri parvum comma, quod re-  
manet, prosa oratione contextitur. Quodsi cui videretur incredu-  
lum, metra scilicet esse apud Hebræos & in morem nostri Flacci  
Græciqve Pindari & Alcei & Sapphus vel psalterium vel lamenta-  
tiones Hieremiæ vel omnia ferme scripturarum cantica compre-  
hendi, legat Philonem, (pace venerabilis monachi dixerim, in  
Philone nihil in hanc sententiam repetiri,) Josephum, Orige-  
nem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio me verum  
dicere comprobabit.

7 ISIDORUS apud B. BUDDIUM *hist. eccles. Vet. Test. tomo 11. sect.  
111. pag. 292.*

8 RABANUS MAURUS *proæmio commentarii in Lamentationes*,  
qui extat inter OO. Hieronymi Tom. VIII, pag. 307. & huic Pa-  
tri tribuitur a MARIANO VICTORIO, epistola commentatio illi  
præfixa pag. 307. sed bonis de causis Rabano vindicatur a BEL-  
LARMINO de scriptoribus eccles. pag. 85. & ab ELL. du PIN  
dans la bibliothéque des auteurs ecclésiastiques, Tome III, pag.  
131. Utcunqve tamen sit, Rabanus, more scriptorum seculi  
VIII. & verba & sententias ex Hieronymi epistola ad Paulum Urbi-  
cam emendicavit. Ita autem scribit; „Hæbes in lamentationibus  
„Hieremiæ

BUXTORFFIUS, <sup>9</sup> MARIANUS VICTORIUS, <sup>10</sup>  
 FRANCISCUS GOMARUS, <sup>11</sup> lyræ Davidicæ, ut li-  
 brum suum vocat, mirus, ne dicam delirus, <sup>12</sup> fidi-  
 cen,

„Hieremias quatuor alphabeta, e quibus duo prima quasi sapphico  
 „metro scripta sunt, quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt,  
 „& ab una tantum littera incipiunt, heroici comma concludit.  
 „Tertium vero alphabetum trimetro scriptum est, & a ternis litte-  
 „ris, sed iisdem, trini versus incipiunt. &c.,

9 BUXTORFFIUS *de prosodia metrica*, ad calcem grammatices he-  
 braeæ.

10 MARIANUS VICTORIUS *notis ad Hieronymi OO.* Tom. III,  
 pag. 691. „Si quis hujus rei experimentum sedulo fecerit, inve-  
 „niet, sicut ego inveni, verum esse quod ille (Hieronymus) di-  
 „xit, esse scilicet in Job hexametros versus ex Spondæo, Dactylo  
 „& aliis pedibus, ut trochæo, jambo, & proceleumatico curren-  
 „tes; non enim syllabarum sed temporum in iis habetur ratio,  
 „ut scilicet duæ breves pro una syllaba longa ponantur., Idem  
 tamen episcopus, manifesta contradictione, statim pag. 693. scri-  
 bit: „Versus Ebraeorum non pedum regulis, ut fit apud Græcos  
 „coarctari incedereque, sed eo excurrere modo, quo apud Etru-  
 „scos carmina soluta.,

11 GOMARI *Davidis lyra seu nova hebraea s. scriptura ars poëtica*,  
*canonibus suis descripta & exemplis sacris & Pindari ac Sopho-  
 clis parallelis demonstrata.* Lugd. Batav. 1637. in 4to. Vid.  
 PFEIFFERUS l. c. §. 12. pag. 610.

12 Jocus hic est B. JO. CONR. DANNHAUERI in oratione penteco-  
 stali *de sancta spiritus sancti poësi*, pag. 127. quæ exstat sub finem  
 Ejus politicæ biblicæ ab Jo. Andr. Schmidjo editæ: ibi, cum  
 sententiam Gomari descripsisset, ita concludit: „hæc hujusmodi  
 „quæ animo volvet, dicturus est, si mirissime, Gomari lyram  
 „delirare.,

cen, HERM. HARDTIUS, D. SCHRAMMIUS, <sup>13</sup>  
 aliique. <sup>14</sup> At magno eorum malo nulli hexametri, nulli  
 Iambi, nullæ odæ Pindaricæ in carminibus Davidis ac  
 Salomonis hucdum reperiri aut indagari ullo studio potue-  
 runt. Quin etiam numeros ad ritum Græcorum Romano-  
 rumque carminum metros in libris Vet. Test. non esse,  
 neque pro natura atque indole lingvæ Hebraicæ esse posse,  
 dudum demonstratum dederunt magnus SCALIGER, <sup>15</sup>  
 LUD. CAPPELLUS, <sup>16</sup> AUG. PFEIFFERUS, <sup>17</sup> AB-  
 BAS FLORIACENSIS, CALMETUS, STEUCHUS,  
 POLYC. LYSERUS, <sup>18</sup> Ven. CARPZOVIUS, aliique,  
 qui majori libertate & acriori judicandi virtute, quam  
 apud Patres fieri solebat, Josephi placita examinarunt. Cæ-  
 sar etiam Julianus defector <sup>19</sup> Eusebium propter asser-  
 tum hoc exagitat atque deridet, nihil prorsus respondente  
 Cyrillo. Ne tamen, quod in foro jureconsultorum merito  
 prohi-

- 13 Vid. unschuldige Nachrichten von Theologischen Sachen, anno  
 1724. pag. 877.
- 14 Vid. Ven. CARPZOVIUS l. c. §. 6. pag. 12. CALMET biblische  
 Untersuchungen, Tom. II. observ. 2. pag. 106. & 117. B.  
 WOLFFH bibl. Hebræ. Tom. IV. pag. 21. & Tom. II. pag. 96.  
 GOMARUS in epistola dedicatoria lyre pag. 5 - 8. B. BUDDE-  
 US hist. eccles. l. c. pag. 293.
- 15 JOS. SCALIGER *animadvert. ad chronica Eusebii*, pag. 7.
- 16 CAPPELLUS *animadvertionibus ad novam Davidis hram*, quæ  
 sunt ad calcem *criticæ sacre*, pag. 651.
- 17 AUG. PFEIFFERUS *dubiiis vexatis*, centuriæ III. loco XLVI. §. 3.  
 pag. 603.
- 18 LYSERUS *progr. de frustra quæsitæ poësi in codice Hebræo*.
- 19 JULIANUS apud CYRILLUM ALEXANDRINUM lib. VII. cap. 2.  
 pag. 222.

prohibetur, bonus Josephus a defensione contra tot accusatores excludatur, quædam omnino, quibus excusetur, dici possunt. Inter Græcos vivens propter Græcos historiam suam conscribentem, & litterarum Hebraicarum expertum, nihil elegans, nisi quod Græcorum moribus atque artibus conveniret, putabat, nihil eruditum ac sapiens, nisi quod cum Græcorum sapientia conspiraret. Igitur affingebat artem variis hebraicis, quæ ipsi maxime elegans videbatur. Idem nesciebat alia numerorum genera, præter ea quibus Græcorum poëtæ utebantur, neque forsitan alia poterat cogitatione comminisci aut concipere; igitur non facile credere poterat, sacros vates aliis modis cecinisse. 2<sup>o</sup> Accidit Josepho, quod Tityro Virgiliano, qui cum nullas urbes vidisset, præter Mantuam suam, putabat stolidæ, omnes urbes ipsamque Romam ei similem esse.

*Sic canibus catulos similes, sic matribus hædorum  
norat: sic parvis componere magna solebat.*

Præterea ejus temporibus, ut & Patrum, codex sacer vulgo absque punctis vocalibus exaratus habebatur, adeo ut vocabulis qualibet puncta subjici possent a lectore, ob eamque causam quilibet numeri & quodlibet metrum facile aptari. Accedebat, quod ego præcipuum fere putaverim, quod illa ætate Scriptura divina in paucorum manibus versabatur & a paucioribus excutiebatur; ut vera ratio poëtices Hebraicæ raro innotesceret.

*Non quivis videt immodulata poemata, judex.*

Hac ignorantia sui seculi ad licentiam mentiendi abusus Josephus, non futuros unquam putavit, qui ipsos libros poëticos evolverent, & versusne ibi hexametri an lyri extrent, examinarent. Sic eo confidentius, quo difficilium fallum redargui poterat, mentitus est, seu, si honestius loqui amas, eo rutilius, sub spe perpetuæ veniæ, erravit.

Alii denique ex recentioribus poëticam Judæorum veterum



terum non tam legibus metri ullius absolvi existimant, quam peculiaris stili, poëticae animati & in sublime elati, excellentia & magnificentia. Ita JOS. SCALIGER, <sup>21</sup> qui tamen in Proverbiis & Jobo putat animadverti rhythmum, id est, verborum modulatam quandam compositionem, quæ tinnula accidat ad aures & numero syllabarum æqvabili, sine metro tamen, svaviter subinde decurrat. Ita quoque plerique Judæorum Sapientes, quos *Rabbinos* vocamus: ita RICH. SIMON, DU PIN, <sup>22</sup> VOSSII, ANDR. DACE-RIUS, B. BUDDEUS, <sup>23</sup> Ven. HEUMANNUS, CALMETUS, <sup>24</sup> aliique quam plurimi. <sup>25</sup> Hanc poësin naturalem vocant, & ab artificiali Græcorum ac Latinorum distinguunt. Sic Plato philosophus, quem prorsâ eaque eleganti oratione dialogos scripsisse scimus, poëta visus est, quod magnificentioribus verbis & sermone vehementius incitato, quam a philosophis, furoris poëticae expertibus, fieri solet, indolem ligatæ orationis in prorsâ dictione exprimeret. Sic vicissim de nonnullis poëtis per opprobrium dictum est, esse eos magis oratoribus aut historicis, quam poëtis, annumerandos, ob torporem stili & placidiorem carminis sui, naturalibus dictionis leporibus segniter contenti, elationem. Ita ergo illi animum inducunt,

B

priscos

21 SCALIGER loc. cit. pag. 6. & 7.

22 Mr. du PIN dissert. preliminaire sur la bible, liv. 1. ch. 3. §. 10. pag. 97. & §. 11. pag. 101.

23 B. BUDDEUS *hist. eccles.* l. c. pag. 296.

24 CALMETUS in *biblischen Untersuchungen*, loc. cit. pag. 128. Vid. *Acta Eruditorum*, anni 1723. pag. 356.

25 Vid. Ven. CARPZOVIIUS *introduc.* ad *libros biblicos*, Part. II. cap. 1. §. 2. pag. 4. B. WOLFFIUS *Biblioth. Hebraica* Vol. IV. pag. 20. & Vol. II. pag. 93. & B. WEISIIUS *programmata* max citando pag. 10. & B. AUG. PFEIFFERUS l. c. §. 1. pag. 601.

priscos Hebraorum vates non aliter poëtas fuisse, quam Platonem: in eorum carminibus non rationem haberi aut temporis aut numeri syllabarum, aut mensuræ pedum, aut alius cuiuspiam rei, quæ metrum efficiat & ligatum sermonem: omnem eorum artem absolvi naturabili nitore stili, & eminenti quadam elegantia dictionis, vehementia concitati spiritus, frequentioribus figuris ac translationibus, sublimibus atque elatis meditationibus, orationis genere aut admirabiliter copioso aut sententiose conciso, ubivis autem arguto & ingenioso. Ita illi, qui poësin Hebraorum non in positione verborum sed in pulchritudine sententiarum sitam esse arbitrantur. Equidem lubentissime concedo, præcipuam dotem vatum Hebraicorum fuisse hanc, quam laudavimus, sententiarum meditationumque excellentiam, quæ eos omnino a vulgari dictione, numerorum legibus exoluta, distingvit. Divini quid profecto spirant cantica illa, & DEum vatibus esse, quo agitante calefiant, singula verba, ponderibus atque ac leporibus insignia, non loquuntur sed clamant fere.

*Hoc superos jures more solere loqui.*

Omni certe sensu elegantia carerem & depravati saporis morbo laborarem, nisi animum meum singulari quodam affectu ferirent & commoverent illa præcipue carmina, quæ ab historicis sacris commemorationibus suis interjecta sunt. Continuo sentis, si historicus loqui desinit, ubi carmen aliquod interpositum inchoetur; & simulac carmen finitur, jucunda illius gravitatis gustum perdis. Sumas tibi aut eucharisticum Hannæ, pro filio divinitus dato DEum laudantis, aut epinicion Mariæ vel Deborah, aut si mares audire mavis, Mosis carmen ac Davidis, aut aliud quodecumque carmen libro ullo intextum, invenies, puero, quid intersit, vatesne canat, an historicus scribat. At, me quidem judice, oppido falleris, si ista sententiarum sublimitate omnem artem circumscribis, exclusis verborum

rum syllabarumque numeris. Vix Jesaias illis vatibus concedet, vel arguta dictione, vel copia aut ornatu verborum, vel excitatiore orationis flumine vel arte animum fortiter commovendi. Quid? ergone & prophetam poëtis annumerabis? Relinquitur amplius quid ad poësin requiri: quam fingere certe animo non potes, sine metro aliquo, & sine legibus numerorum, quicumque illi demum sint.

Sunt etiam, qui omnem poëticam sacram pendere arbitrantur *ab usu & positione accentuum metricorum*, qui in tribus memoratis libris inveniuntur, ab accentibus profaïcis diversi. Ita THEOD. EBERTUS & JO. GEORG. ABICHTIUS. <sup>26</sup> At, ne memorem concipi haud posse, quæ ratione ars poëtica in peculiari usu characterum interpunctionis consistere potuerit, certe eo modo, quem illi volunt, obscurum per æque obscurum explicatur; non aliter, ac si mysterium illud naturæ de commercio animæ & corporis revelaturus, diceres, animam ita influere in corpus, ut astra in vitam fortunamque humanam. Æque enim nescio hoc, quomodo accentus metrici differant a profaïcis, nisi sola figura, ac illud, quod scire cupio, quomodo differat dictione profaïca a poëtica. Præterea illi, qui antiquitatem accentuum negant, ista responsione parum sibi satisfactum conqueruntur, & inde sequi arbitrabuntur, libros illos, cum, nondum accentibus inventis, peculiari interpunctionum figura destituerentur, profaïcos fuisse, cum accentus deinde accessissent, repente poëticos evasisse. Sequeretur etiam, illa cantica, quæ libris historicis interjecta ordinariis accentibus distincta cernuntur, arte poëtica carere.

Aliis denique viderur omnis lepos poëseos Hebræicæ *musica arcessendus*. Carmina illa, ajunt, si in se spectentur, meram

B 2

<sup>26</sup> ABICHTIUS libro: *accentus Hebræorum ex usu lectionis vel musico explicati*, cap. XXV. pag. 265. Vid. B. WOLFFIUS l. c. Vol. II. pag. 94. & Ven. CARPZOVIVS loc. cit. §. 15. pag. 309. & B. PFEIFFERUS dubiis vexatis §. 11. pag. 609.

meram fuisse profanam orationem, expertia numeri & nullis omnino legibus pedum aut metri adstricta: confesse vero *cantica*, *poëmata* & *carmina* dici, eo quod in usum modulationum musicarum composita essent & a concentu tibicinum fidicinumque animarentur. Itaque ea neutiquam natura sua esse carmina, sed usu duntaxat, cui destinata fuerint, & ex accidenti, propter adjunctam musicam. Ita sensit e Sapiens Judæorum ABARBANEL, e nostris B. PFEIFFERUS<sup>27</sup> & ABICHTIUS, itemque JULIUS BAR-TOLOCCIUS & SALOMON van TILL.<sup>28</sup> Ea tamen ratione omnis ars poëtica penitus tollitur, nomine solo relicto: neque ego perspicere possum, quam ob causam Proverbia Salomonis & Jobus fuerint in usum concentuum musicorum confecti, propheta ac historici fuerint lectionibus vulgaribus relicti; cum Jesaias non minus bene ad artem fidicinum accommodari potuerit, quam Jobus. Necessè igitur omnino videtur, in ipsis illis libris atque canticis aliquid inesse artis, quæ a vulgari dictione distingvantur.

Audiat ergo nova opinio, quæ forsân melius reliquis arrisura est. FRANCISCUS HARUS,<sup>29</sup> præsul Cicestriensis in Anglia, umbram Europæorum versuum, numero syllabarum constantium, in psalmis reperiri contendit. Hos enim putat confectos esse versibus, qui certis pedibus currant binarum syllabarum numero constantibus, iisque vel jambicis vel trochaicis, plane ut in Germanica poësi, eos tamen destitui consonantibus extremis verbis, (quod *barbare rhythmos* dicimus,) nisi casu succurrerint subinde: Me-  
trum

27 PFEIFFERUS dubiis vexatis l. c. pag. 616.

28 Vid. Ven. CARPZOV. l. c. §. 3. pag. 8. B. BUDDEUS l. c. F. 297.

29 Vid. B. CHRISTIANI WEISII, progr. quo systema psalmorum metricum a Franc. Hare nuper adornatum delineatur. Lips. 1740. pag. 15 — 20. it. Ven. MOSHEMII Anmerkungen zu Calmet's biblischen Untersuchung, pag. 127.

trum autem definitum & æqualem pedum numerum non seruari, quod rudioribus artis initiis tribuendum sit, sed versus modo longiores modo breviores occurrere & periodos Jambicas periodis trochaicis esse intermixtas. At, cum eruditissimus ille præsul mensuram istam versus in ipsis poëticis libris demonstrare non possit, nisi ipsi concedatur, ut pro lubitu, aut pro necessitate potius jamborum ac trochæorum suorum, verba sacrorum vatum audacissime permutet, translocet, ejiciat, augeat, sat manifestum est, HARUM non valde feliciter hariolatum esse. Interim nemo tamen putet, HARUM primum repertorem hujus opinionis esse. Idem jam visum est AUGUSTINO STEUCHO, & fere BUXTORFIO, neque negari potest jucundum quendam rhythmum jambo & trochæo sæviter decurrentem subinde observari in canticis sacris.

Peculiaris denique sententiæ autor est magnus JOSEPHUS SCALIGER, quem presso pede sequuntur LAUR. FABRICIUS, <sup>30</sup> MATHIAS MARTINIUS & JO. CHRISTOPH. KOLHANSIUS <sup>31</sup> non multum renitente AUG. PFEIFFERO. Putat in Jobo, Proverbiis & cantico magno Mosis, non in omnibus poematis sacris, versus deprehendi, metri quidem expertes, tamen ad instar duarum dimeriarum Jambicarum rhythmum quodam instructos sonoro, & æquali interdum numero syllabarum, interdum inæquali præditos. Itaque ad *poësim biblicam requiri rhythmum duobus versibus constantem seu duobus distichis, qui in syllabarum numero vel plane conveniant secum invicem, vel in quorum alterutro numerus syllabarum alterum modicè excedat*: & huc interdum casu accedere consonantias termina-

B 3

les.

<sup>30</sup> FABRICIUS apud Pfeifferum l. c. §. 9. pag. 608.

<sup>31</sup> KOLHANSII exercitationes glotticæ s. tractatus continens poëticam Opitiano-Hebraicam, observationes in Psalm. 119. & controversiam de punctorum origine &c. cap. 1. theor. 4. pag. 5.

les. Sed hoc pacto ars poëtica Hebræorum nimium deprimatur, ut vix umbra artis relinqvatur. Quid enim interest inter istam poesin & numerum seu rhythum oratorium?

Multæ adhuc supersunt eruditorum opiniones, præter eas, quas jam magno numero proposui. Sed intercedet fortasse lectorum unus & alter & moræ tadio quæret, anne tandem satis peregrinarum opinionum jam adductum sit? quid mihi cum illis velim? anne potius aliquid habeam meo Marte excogitatum, aut saltem aliquid veri: nam quæ hæctenus enarravi, simul rejecisse ac falsi convicisse videor. Parcite, Lectores, nec tam mature fastidium mei capite: statim enim, quæ desideratis, dabo & ab exponendis aliorum conjecturis prudens desistam.

Una restat, quam e Sapientibus Hebræorum MOSES BEN CHAVIF, e Christianis LAUR. PETRÆUS, HUE-TIUS, AMIRA, THEOD. HERBERTUS, <sup>12</sup> CAMP. VITRINGA, <sup>33</sup> BERNH. LAMIUS, BLASIVS GAROFALIUS, <sup>34</sup> BENED. TORANUS, DAN. SCHNEIDERUS, JO. MICH. WEINREICH, JO. CONRAD. SCHRAMMIUS,

32 Hic THEODORUS EBERTUS immitem ideo refert censuram a B. AUGUST. PFEIFFERO l. c. §. 4. pag. 605. „Neminem ita cum „ratione insanire credimus, ut serio censeat, hos libros constare „carmine metrico-rhythmico „ i. e. carmine harmonico, more Europæorum. Insaniamus tamen, modo cum ratione; & tibias censorum sine ratione ne audiamus.

33 VITRINGA *comment. in Jesaiam* cap. V. vers. 1. pag. III. edit. Leuward. & *Observationibus sacris*, lib. II. cap. 1. pag. 244.

34 De GAROFALIO vid. LE CLERC *dans la bibliotheque choisie*, tome XX. art. 5. pag. 168. *Acta eruditorum* Lipsi. anni 1708. mensis Septemb. pag. 397. & *Miscellanea Lipsiensia* Tom. IX. pag. 83. Garofalii liber hoc titulo gaudet: *Considerazioni di Biagio Garofalo intorno alla poesia degli Ebrei & dei Greci*, Roma 707. in 4.

MIUS, MALATESTA STRINATUS, JAC. CAPPELLUS, <sup>35</sup> JO. CLERICUS, ABBAS FOURMONT, <sup>36</sup> aliique <sup>37</sup> tuentur, & quodammodo, sed subdubitanter Ill. MOSHEMIUS. <sup>38</sup> Dicunt, Hebræorum poetice quam proxime accedere ad gentium Europæarum carmina, quæ numero certarum syllabarum jucundis modis cadentium & consonantia extremorum vocabulorum absolvuntur.

Habetis jam, Lectores, præcipuas eruditorum in diversa abeuntium sententias. Integrum vobis est, cujuslibet robore ac verisimilitudine explorata, in quancunque vultis partem concedere.

Si ex me scire cupiatis, quid mihi tandem ea de re videatur, modeste respondebo cum poeta:

*Non nostrum inter vos tantas componere lites.*

Diffimulare tamen vix ausim, unam præ altera mihi videri verisimiliorem. Certe, qui versus ad ritum hexametrorum aut Alcaicorum Sapphicorumque Græcorum in psalmis quarunt, eos haud audiendos puto, nedum confutandos: sed eorum persuasionem confidentissime pronuncio falsam esse & ex incertitia litterarum Hebraicarum naram. At de reliquis opinionibus equidem mitius judicaverim, quippe quibus aliquid saltem veri subest. Tandem, ut aperte eloquar quid sentiam, postremam dico opinionem mihi videri potiore & probabiliorem. Non nego, carmi-

na

35 JAC. CAPPELLUS ap. LE CLERC *bibl. choisie* Tom. XIII. p. 288.

36 FOURMONT *diff. sur l'art poétique & sur les vers des anciens Hebreux* anno 1717. quæ extat dans les *memoires de litterature de l'academie des belles lettres*, tome IV. pag. 467. edit. Paris.

37 Vid. Ven. CARPZOVIVS l. c. §. 7. pag. 17. B. BUDDEUS *ibid.* pag. 296. CALMET l. c. pag. 114. & 121. B. WOLFFIUS Vol. IV. pag. 22. & Vol. II. pag. 96.

38 Ven. MOSHEMIUS *notis ad Calmetum* pag. 142.

na Hebraica delectabili æque ac gravi sermonis genere, quibuslibet troporum luminibus, delicataque quadam elegantiarum & argutiarum copia excellere: non nego, carminibus nobilissimum ornamentum afferri a modulationibus synodiisque musicis, quibuscum sororio quasi nexu copulata erant: non nego, in illis observari rhythmum tinnulum certamque vocis cadentiam, si legantur, ac numerum syllabarum pedibus jambicis aut trochaicis euntium. Sed in illis cardinem tortus artis poëticae sacrae verri, nego. Veri nervi artusque hujus artis sunt finientia in similem sonum verba, (quos vulgo *rhythmos* appellamus,) perinde ut poëtos Germanicæ aut Gallicæ.

JO. CLERICUS edidit *tentamen criticum*, quo ostendere annititur, quanam in re Hebraorum poësis consistat, idque tum Gallice *bibliotheca universali* <sup>39</sup> inserendum curavit, tum latine *commentario suo* <sup>40</sup> in prophetas. Hoc laceffitum a nonnullis & oppugnatum, in *bibliotheca antiqua & nova* <sup>41</sup> novis argumentis defendit atque illustravit. Multum tribuo auctoritati & ingenio hujus viri perspicacissimi & in litteris Orientalibus eximie versati. Non tamen sua auctoritate in hanc suam sententiam me pertraxit, sed quod eam argumentis munire atque illustrare potuit, quæ summam verisimilitudinem gignunt. Inest eis aliquid, quod pervadeat facile, quod præsertim subtilis ingenii eloquentia propositum & exemplorum similitumque quorundam luminibus collustratum animos lectoris percellat, ita ut ea non nudam tantum verisimilitudinem sed mathematicam propemodum certitudinem efficere videantur. Demonstrat enim

39. *Bibliothèque universelle*, Tom. IX. art. 8. Essai de critique où l'on tâche de montrer en quoi consiste la poësie des Hebreux, pag. 219 — 291.

40. CLERICI *commentarii in prophetas* pag. 621 — 632.

41. *Bibliothèque ancienne et moderne* Tom. XIX. part. 1. p. 140. sqq.



enim poesin Hebræam & commodissime esse potuisse harmonicam, (utamur hoc vocabulo *poeseos harmonicæ* ad exprimendam illorum versuum naturam, qui consonantiis finalibus distinguuntur) ex indole lingvæ & musices adjunctæ, & talem vere esse videri ex consuetudine aliorum populorum Orientis & exemplis quam pluribus. Interim, dum non invenire possum omnibus in canticis sacris illud versuum genus, nescio, vitione imbellis ac parum perspicacis ingenii, an quod tales versus ibi vere desunt, dum contra passim in ipsâ prorsâ oratione tales versus manifeste conspicio, non equidem sane ausim isti sententiæ mathematicam certitudinem tribuere. Diffiteri non possum, mihi accidere solere ea legenti, quod Cicero <sup>42</sup> de Platonis Timæo pronuntiat, ut, dum lego, assentiam, cum posui librum & mecum ipse de quæstione illa incipio cogitare aut in ipsis canticis sacris versuum terminos indagare, assensio omnis propemodum elabatur. Itaque satis diu anceps animi, quid statuerem hac de re, hæc,

*pugnavitque diu sententia secum.*

Illud tamen non temere concluderim, aut nullam omnino esse poeticen Hebræam, aut qualem Clericus describit esse debere. Igitur, usque dum aliquis meliorem sententiam aliquando monstraverit, hanc interim amplector, eamque maxime verisimilem voco & omnium verisimillimam.

Hanc igitur, inde acceptam, hic reperere atque nostris hominibus hic ob oculos ponere cum animo meo constitutum habeo. Neque multum vereor, ne mihi crimen plagii exprobretur, qui sincere, unde ea potissimum hausserim, declaro atque fortassis nonnulla ab illo omissa addo: neque etiam, ne objiciatur, acta me agere, dum alterius scriptoris serinia compilo atque quæ alibi multo elegantius proposita dudum legi potuere, hæc tenui stilo elaborata exhibeo. Difficile profecto est, ne dicam impossibile, in hac materia

C

ria

42. Cicero Tusculanar. lib. 1. Cap. 11.

ria novum quicquam & indictum ore alio comminisci: nam, si Comicus nihil omnino verum dixisset, illud tamen verissime dictum ab eo esse quilibet fatetur: *nihil dici, quod non dictum sit prius*. Nec forsitan eruditissimorum multi erunt, qui novo quodam invento inflati cum Archimede in publicum proflire & æque verè ac superbe exclamare poterint: *εὐγεννα*.

*magna, nec ingenii euestigata priorum,  
quæque diu latuere canam.*

Accedit quod eruditissimi libri hominis illius, maxime commentarii ejus menstruales, quos *bibliothecas* appellat, non adeo vulgares apud nos sunt, aut saltem non adeo frequenter, ut ex dignitate eorum oportebat, ab hominibus nostris leguntur. Quibus ego non inutilem aut infructuosam proflus operam præstabo, ut puto, si eos hoc pacto reddidero notiores & novam ejus opinionem acceptiorem.

Ita vero laudatus vir <sup>43</sup> de poeti Hebræorum judicat, constitisse eam versibus more Germanicorum simili sono cadentibus & numero syllabarum jucundè rinniente ornatis: at fuisse liberrimam quasique irregularem, qualis apud Germanos est *odarum*, ad concentus musicos accommodatarum, ita ut neque certus numerus similiter sonantium terminationum observetur, neque earum justa conformitas & congruentia, ut nec numerus syllabarum valde curetur, quandoquidem alii versus pluribus, alii paucioribus syllabis, consistant, & ut consonantia finalis interdum plane negligatur: verbo fuisse maxime liberam, quippe sine multo artificio, ut sit inter populos nondum studiorum incrementis celebres, ac rudi veluti Minerva cultam. Hæc postea fusius deducit & ingeniosè exponit. Eadem proflus mens est Cl. FOURMONTO & Cl. JO. MICH. WEINRICHIO, quamvis hic non videatur quicquam de Clerici tentamine audivisse, ut omnino mirer, tribus hominibus in re tam obscura adeo admira-

43 *Bibl. univers.* Tom. IX. pag. 231.

admirabiliter convenire potuisse. Placet WEINRICHII <sup>44</sup> verba huc transcribere, ut & illa rectius intelligantur. *Eorum*, inquit, *se mihi opinio semper approbavit, qui odarum genus Ebræis familiare fuisse suspicantur. Oda duplicis generis sunt, vel vulgares vel singulares. Vulgares appellamus eas, quæ publica autoritate collectæ in cætu conventuque sacro hominum cantantur. Alterum genus odarum, quo Germani maximopere delectantur, est interruptum illud, variisque coloribus distinctum, quo Odarum strophæ aliis brevioribus mixtisque versibus intexuntur. Vulgari lingua dicuntur Madrigale, nomine procul dubio ex Italarum lingua mutuato. Sunt autem carmina, hoc genere conficienda, in arbitrio fere nostro posita, & vel aliquo vel nullo rhythmo, vel hoc vel alio metro, vel longis vel brevibus versibus definiri possunt. Parum abest quin existimem, eadem genera versuum & Ebræis fuisse. Nam ejusmodi carmina ad musicam imprimis sunt apta, sive sola humana voce, sive adjecto chordarum concentu recitentur. Deinde rhythmus interdum admiscetur condimenti loco, interdum omittitur, quod exemplis ex libro psalmsorum facile comprobatur. Præterea & breviores & longiores sententiæ aperte docent, versus vel extendi longius, vel contrahi arctius debere. Porro quæ ex terminationum pluralis numeri paucitate, ex vocalium natura & concursu ex syllabarum constitutione incommoda extimescenda erant, hoc genere tolluntur commodissime. Et tandem, ut reliqua omittamus, accentuum etiam metricorum consecutio pro hoc genere carminis videtur militare. Hæc Cl. WEINRICHIIUS, cujus sententia cum Jo. Clerici placitis apprime consentiens, mi-*

C 2

44 WEINRICHII comparatio poeseos Germanica cum illa Ebraeorum Veteri, quæ extat in *Miscellaneis Lipsiens.* Tom. IX. observat. 186. pag. 84: ejusque verba citantur à B. WOLFFIO *bibl. Hebr.* Vol. IV. pag. 23. & in *unschuldigen Nachrichten von Theologischen Sachen*, anno 1724. pag. 937.

hi ita probatur, ut quid in ea desiderari aut reprehendi jure possit non videam.

Nec tamen eam proposuisse satis est, considerari quoque debent rationes, quibus Clericus ad eam stabilendam confirmandamque strenue utitur. Primo id agit, ut ostendat, fieri omnino commode posse, ut sententia sua vera sit. Observat duo tantum dari versuum genera, vel, ne confidentius justo ex ignorantia nostra argumentari videar, nobis saltem non nisi duas poematum formas notas esse: alteram esse metricam, ubi quantitatis syllabarum ratio habetur, quae uti quondam sunt Graeci & Latini: alteram esse harmonicam, ubi numerus syllabarum curatur & consonans terminatio, quam omnes Europae nationes adhibent. Alterutra ad hebraicam poesin accedat, necesse est. Atqui fieri nullo modo potest, ut Hebraicus sermo versus metricos admittat, <sup>45</sup> partim quia voces transponere pro lubitu non licet, ut apud Graecos, sed idem ordo syntaxeos ubique servari debet, ut ex. gr. substantivum praecedat adjectivo, nomen regens nomini recto, pronomem relativum verbo &c. partim quia casus nominum Hebraeorum una eademque terminatione gaudent, ob eamque causam eadem quantitate, secus ac Graecorum casus, qui variis terminationibus fiunt eoque variae quantitatis syllabas gignunt: partim denique quia Hebraei paucissimas breves syllabas habent, plerasque longas vel ob vocalem longam vel positione. Hac ille copiosius deducit, ego magis concise, quia quilibet credo daturus est, quod ille cupit, naturam indolemque linguae Hebraicae repugnare, ne in versus metricos cogatur. Relinquitur, versus harmonicis, ut ita loquar, seu numero syllabarum mensos, omnium aptissimos esse sermoni Hebraico. Primo enim nihil est naturae convenientius quam consonantia finalis, quae harmonicorum versuum anima quasi est; metrum contra magis sapit

<sup>45</sup> Vid. Garofalus in actis Eruditorum Lips. l. c. pag. 398. & ap. le Clerc biblioth. choisie Tom. XX, pag. 173.

sapit artem & morsos ungviculos. Jam ISAACUS VOSSI-  
 US libro *de viribus rhythmi* id in pueris observari ait, qui,  
 ut harmoniam efficiant in cantilenis suis, voces repetant  
 easdem, si voces similis soni desint. „Ipsa natura, inquir,  
 „una cum cantu hanc poëseos rationem mortalibus tra-  
 „didit. Et sane si quis puerorum canere incipientium mo-  
 „rem observet, quomodo nempe illi, dum verba nania sua  
 „aptare conantur, ut cantum impleant, eadem vocabula  
 „pluries soleant repetere, in hac quoque balbutie & batto-  
 „logia vulgaris rhythmicæ rudimenta inveniet. Neque enim  
 „negari potest, quin eadem voces repetitæ faciant conso-  
 „nantiam, si non elegantem & jucundam, maxime tamen  
 „naturalem & perfectam, multarumque gentium usu com-  
 „probatam; licet delicatioribus homines inprimis ab eo sibi  
 „caveant vitiosumque existiment, si in carminum sine idem  
 „vocabulum sibi consonet.„ Ita Vossius. Deinde omnis  
 lingvæ hebraicæ ratio ad consonantiam propensissima est.  
 Recte, ni fallor, observat Cl. FOURMONTUS, <sup>46</sup> quo  
 simplicior sit lingva, eo esse uberiorem in vocibus sibimet  
 consonantibus. Ac de Orientalibus lingvis nemo dubium  
 movebit, quin sint simplicissimæ & uniusmodi. Hinc BUX-  
 TORFFIUS dedit lexicon rhythmorum Syriacorum, FOUR-  
 MONTUS semet testatur tale composuisse ex consonantiis  
 Hebraicis & aliud ex Arabicis. Quare Hebraicæ dictionis  
 naturâ ingentem facilemque vim consonantiarum suppeditat.  
 Non enim casus habet, qui diuersimode terminentur,  
 sed omnes eodem sono ac modo finitis. Omne nomen fœ-  
 mininum desinit in *ab* aut *at*: pluralis aut habet *im* aut *ot*,  
 suffixa pleraque in sonum *a* aut *em* exeunt; tertia quaelibet  
 pluralis verborum in *u* finitur. Vnde apparet, apud He-  
 braeos facillimo negotio versus fieri potuisse simili sono ca-  
 dentes, cum consonantia vocabula non studio quaeri debe-  
 rent, sed sponte semet offerrent. Quin etiam in prorsâ ora-  
 C 3 tione

tione eiusmodi finitivæ consonantiæ vel invito obveniunt & scriptori aliud cogitanti subreptitæ quasi subnascuntur, ut difficulter hebraice scribi possit sine ejusmodi consonantiis: quas tantum abest, ut veteres scriptores vitarent tanquam vitium orationis, quod solent Latini poëtæ, <sup>47</sup> ut eas lubentissime admitterent ceu exoptabile dictionis condimentum & ornamentum. De Mahumede tradunt, eum in Corano suo, etiam ubi oratione legibus numerorum exsolura uteretur, subinde clausulas consonantes adhibuisse, eoqve ornamento sibi adeo placuisse, ut elegantius a quoquam scribi posse negaret. In ipso codice sacro, in ipsis libris historicis, nonnunquam loca deprehendimus talibus consonantiis, sponte natis, ornata, quæ, ut manifestius in oculos incurrant, singulari forma scripturæ exhibentur exarata, scilicet lineis ita distinctis ac ordine dispositis, ut versus versus subjiciatur & sententia sententiæ consonantiis determinata respondeat. Hoc modo scribuntur *Iosue XII. 9.* nomina regum, quia singuli versus in vocabulum אחר exeunt: eodem nomina virorum ab Judæis in castello Susan occisorum, *Estheræ IX. 6.* ob terminationes plurimorum affines: eodem denique *Numer. VI. 25.* votum solenne ab Aarone pro populo nuncupandum. Probe FOURMONTUS <sup>48</sup> monet, Hebræos, ubicunqve stilum attollere & sublimiori dictione uti voluerint, affectasse ejusmodi consonantias. Quanto id magis de poëtis credibile, quorum stilus quam maxime sublimitate commendabilis esse debet. Quibus ex rebus efficitur, poësin Hebræorum commodissime esse potuisse harmonicam, qualis Europæorum.

Nunc necesse videtur, ut idoneis rationibus demonstrarem, eam vere talem fuisse. Non minimi ponderis argumentum est, quod a poësi Arabum, Æthiopum, Afrorum,

47 Vid. AULUS GELLIUS *noctium Attic.* lib. XVIII. cap. 8.

48 Mr. FOURMONT pag. 471.

rum, Persarum, Phœnicum, Serum, aliorumque populorum Orientem spectantium repetitur. <sup>49</sup> Namque apud hæc gentes aliud genus poematis, quam quod clausulis consonantibus constat, nesciri, apud omnes in confesso est. Hungari denique, quorum linguam ad indolem Orientalium proxime accedere <sup>50</sup> omnes norunt, qui modo fando de ea audiverunt: habet enim suffixa & affirmativa, habet easdem construendi vocabula leges: nec mirum, cum eorum majores, Hunni, Scytharum Asiaticorum propago fuerint. Hungari, inquam, non aliud genus carminum sciunt, quam quod numero certo pedum & terminationibus consonantibus decurrat, & ad has efficiendas plerumque suffixis suis utuntur. Olim apud Arabes, nondum exulta ea arte, versus fiebant liberrimi sine mensura & numero syllabarum, nudis consonantiis in fine distincti, iisque etiam sat licentiosis. Hoc genere versuum totus fere Coranus fatinetur & reliqua eorum poemata absolvuntur. <sup>51</sup> Post Muhamedis tempora poësis delicatius colæpta est & consonantiis cæsura, rhythmus & certus numerus syllabarum addi cœptus, ita ut quam proxime ab Europæorum arte absit. Æthiopes pariter, LUDOLFO teste, hoc genere carminis utuntur, itemque ultimi Seres, ut ii testantur, qui novissimis temporibus eas regiones perlustrarunt. Ipsos Phœnices seu Cananæos Judæis finitimos & intermixtos consonantibus carminibus usos fuisse admodum verisimile fit, si consideramus, eorum colonos, Pœnos seu Carthaginienses, id genus carminis adamasse. Vnum monimentum

<sup>49</sup> Mr. FOURMONT pag. 471.

<sup>50</sup> Vid. OTROKOSI *origines Hungaricae*, Part. I. cap. VII. integro, pag. 282. seqq.

<sup>51</sup> Vid. SCALIGER *ad Euseb.* pag. 7. & THYSIUS *exercitationibus*, miscellaneis, exerc. XVII, pag. 110. & PFEIFFERUS I, c. pag. 623.

tum poeseos Punicæ extat in PLAUTI *Penulo*, <sup>52</sup> litteris latinis exaratum ob eamque causam perobscurum atque in-scititia librariorum depravatissimum, quod tamen felicissime restituit tum BOCHARTUS, <sup>53</sup> tum CLERICUS. <sup>54</sup> In eo tam manifesta clausularum consonantium vestigia & poeseos germanicæ similia cernuntur, quamvis BOCHARTUS non tentaverit versuum definire terminos, ut & ipsi CALMETO satisfaciant. Vnde facile colligitur, populos ad Orientem spectantes poesein harmonicam coluisse. Neque ullum putaverim suspicaturum, eam ab Europæis demum ad illos allatam esse. Namque cum antiquis temporibus Europæi aut rara aut nulla omnino commercia cum Arabibus Persisque habuerint, videtur ea potius apud ipsos Arabes ac Phœnices nata & ex ipsa indole lingvæ oriunda fuisse. Attendi quoque meretur, Tyrriorum coloniam nongentos annos ante Christum natum Carthaginem deductam esse, tali scilicet ætate, qua aliud genus versuum in Europâ, quam Græcum, vix fando auditum erat. Ex eo igitur, quod omnis Oriens carmina harmonica habuit, admodum verisimiliter concluditur, etiam Hebræos in sacris atque ac profanis similia carmina fecisse. Quidni enim? cum omnes populi Orientem accolentes communi lingua uterentur, quæ in dialectis modo discreparet, nonne sat credibile est, eodem commune genus carminis, genio lingvæ conveniens, habuisse? Græci omnes, utut in diversis regionibus diversas dialectos usurparent, nihilotamen fecius carmen metricum ubique adamarunt. Præcis Celtis, qui olim maximam partem Europæ tenuerunt, commune genus versuum fuit, harmonicum scilicet, utut in plurimas gentes distributis:

52 PLAUTUS in *Penulo* actus V. scena 1.

53 BOCHARTUS *Geographia sacra* lib. II. cap. VI. toto, pag. 800. edit. Francofurt.

54 CLERIC *bibl. univers.* Tom. IX. pag. 256.



butis: idemque illi in magna gentium migratione in omnes Europæ regiones una cum victricibus armis intulere: unde hodierni Itali, Germani, Franci, Hispani, Angli, Sveci, Dani eodem carmine delectantur, quippe ex præcis Celticis oriundi. Quid quæso causæ esset, cur hac in re Hebræi a cæteris gentibus cognatis et finitimis et ἑμογλωττας dissentissent? Ecce aliud & singulare poeseos genus sibi commentari fuissent, cum et exemplum circumjacentium populorum & suæ lingvæ indoles harmonicum illud genus invaderet ac suppeditaret?

Neque tandem temere factum esse opinor, ut recentiores Judæorum magistri istud carminis genus amplecterentur: omnes enim sciunt atque fatentur, ab Rabbiniis non alios versus scribi, quam numero syllabarum certo & consonantiis terminalibus constantes; hujusque poeseos regulas suppeditant BUXTORFFIUS<sup>55</sup> & KOLHANSIUS.<sup>56</sup> Obtendunt quidem qui a nobis dissentiunt, istud Rabbistorum institutum haud verustum esse, sed ab Arabibus demum heri aut nudius tertius arcessitum atque acceptum.<sup>57</sup> Quæ obiectio nihil valet. Majori specie veri cum Scaligero<sup>58</sup> responderetur, Rabbinos inter Europæ nationes viventes illorum poesin addidicisse, neglecta aut perditâ veterè majorum suorum arte. At qui novit, quam amantes Judæi sint Christianorum, quam contra tenaces præcorum avitorumque institutorum, vix sibi persuaderi patietur, Rabbinos poesin suam a Christianis mutuo accepisse.

D

Verum

- 55 BUXTORFFIUS *de præfidiâ metricâ.*  
 56 KOLHANSIUS in *exercitationibus glotticis*, exerc. I. de *Opisano Hebræica poesi*; quæ regulas a Mart. Opitio de poetica Germanorum scriptas ad Hebræam linguam applicat.  
 57 Ut B. BLIDDELIUS *hist. eccl. 7. 7.* pag. 296. & PFEIFFERUS pag. 629.  
 58. SCALIGER l. c. pag. 58. 7.

Verum enim vero ista argumenta, aliquis putabit, non sufficere ad demonstrationem rei, quæ in quaestione sit, nisi in ipsis canticis sacris librisque illis, qui poetici esse perhibentur, tales quasi digito infixio ostendantur verius, quales volo. Certe vel myriades argumentorum huc nihil valerent, si neque cadentia syllabarum neque clausulæ consonantes ibi vere observarentur. Salva res est. Ipse codex facer nostris responderet desideriis & pro placitis nostris sententiam fert luculentissime. Non facile psalmus reperietur, non canticum ullum, in quo, si debitum studium attuleris, non notare posses manifesta vestigia & consonantis extremæ vocis & mensuræ syllabarum. Quin FOURMONTUS<sup>59</sup> etiam confidenter affirmat, quemlibet sola lectione psalmorum hac de re convinci posse. Id tamen reticendum hoc loco non est, quod ipse Clericus<sup>60</sup> ingenue fatetur, non omnia carmina Hebræorum poesin esse videri, & carmina parabolica, quæ Hebræis dicuntur משל, qualia sunt in Jobo, itemque Canticum Canticorum consonantiis destitui. Uramur igitur distinctione quadam, si lubet; ne curemus magnopere Jobum & Proverbia, quos sola Judæorum traditio metricos esse venditat & qui artis illius, quam describimus, vix ac ne vix quidem speciem præ se ferunt: curamus

<sup>59</sup> Mr. FOURMONT dans les *memoires de l'academie des belles lettres* Tom. IV. pag. 469. „J'étois pour les times avant même de  
„connoître les auteurs qui ont parlé comme moi. J'ose assurer  
„qu'une lecture fréquente des psaumes donnera toujours la même  
„idée à ceux qui possèdent la langue Hébraïque à un certain  
„point. En un mot ce que j'avancerai ici, consiste en faits,  
„& des exemples pris de tous les âges de la rep. des Hébreux en  
„convaincroient tout le monde, si mes raisons se trouvoient in-  
„suffisantes pour le prouver.”

<sup>60</sup> Le CLERC *bibl. ancienne* Tom. XIX. pag. 142. & *bibl. choisie* Tom. XX. pag. 174.

remus modo ea carmina, quæ vera carmina esse scimus, nempe psalmos & cantica eucharistica illa & epinicia, quæ libris profanæ passim inspersa deprehenduntur, artemque nomini suo convenientem manifeste produnt. Iam dudum Ioh. Clericus promisit totum librum Psalmorum in versus harmonicos distributum ac distinctæ scripturæ in lineas restitutum; sed non edidit. Interim ad calcem tentaminis, quod laudavi, exhibet speciminis loco psalmum CL. hac ratione adornatum ac descriptum. Eodem modo exhibet <sup>61</sup> canticum Hannæ, *1 Sam. II.* manifestis clausularum consonantiis numerosè cadens; itemque <sup>62</sup> canticum epinicion Mosis ex *Exod. XV.* & alterum Mosis magnum *Deut. XXXII.* & canticum Deborahæ, *Jud. V.* Eo modo Campeg. Vitringa *Psalmum II.* itemque initium capituli V. ex *Jesaja* in lineas suas descriptum ob oculos ponit, ut dubitari vix queat, quin consonantiæ illæ ad naturam formamque carminis Hebraici pertinuerint. Eadem ex pluribus canticis ad antiquos linearum terminos redactis declaravit GAROFALUS. <sup>63</sup> Ne tamen ullus scrupulus remaneat, periculum ipse faciam in quibusdam psalmis, eorumque ὁμοιοτελευτα ostendam exemplis. Non eos seligam callide, qui præ cæteris hypothese nostræ inservire possent: sed temeraria quasi fortuna oblatos, videlicet primum & medium, qui LXXV est: extremum autem jam Clericus dedit. Ex his judicari jam potest, idem fieri posse cum omnibus reliquis, si attento animo considerentur.

D 2

Psalmus

- <sup>61</sup> CLERICI comment. in libros historicos pag. 182.  
<sup>62</sup> CLERICUS in commentariis ad hæc loca, ad *Exod.* pag. 67.  
<sup>63</sup> Vid. Acta Eruditorum anni 1708. mense Septembr. pag. 400. & la bibliotheqve choisie pag. 173.

## Psalms I.

אשרי האיש אשר לא הלך	Afchre   haifch   hfcher lo   hofech (vel halach)
בעצת רשעים ובדרך	baazath   rfchaim   ube   terech (vel ubatterech)
חטאים לא עמד ובמשב	chatta   im lo   amad   ube   moschab (vel ubammoschab)
לצים לא ישב:	(vel chattim   lo a   mad ubmoschab) Iezim   lo   jafchab.
כי אם בתרת יהוה	2 Ohi im   bthorath   Jovah
הפצר	chephzoh
ובתורתו	ubtho   ratho
יהגה יומם ולילה:	jehgch   jomam   valaila
והיה כעץ שתול	3 Vhajah   ceez   fchatul
על פלגי מים אשר פריו	al pal   ge' ma   jim hfcher   pirjo
יתן בעתו	jitten   bitto
ועלהו לא יבול	vale   hu lo   jibbof
וכל אשר יעשה יצליח:	vool hfcher   jafch   jazzlich.
לא כן הרשעים	4 Lo chen   hare   fchaim
כי אם	chi im
כמוץ אשר תרפנו	cammoz   hfcher tidd   phennu
רוח עלכן לא יקמו	ruch al   cen lo   jakimu
רשעים	rfchaim
במשפת	bammifchpathi (vel bmfifchpat)
חטאים	vecha   taim
בערת	badat
צדיקים:	zaddikim.
כי יורש	2 Ci jodegn
יהוה דרך צדיקים	jova terech zaddikim
ודרך רשעים	uderech rfchaim
תאבד:	thobed.

Adjiciatur

## Adjiciatur Psalmus LXXV. pariter brevis

הודינו	2	Hodinu
לך אלהים הודינו		lcha hlohim hodinu
וקרוב שמך		ykarob schmecha
ספרו נפלאותיך:		sippru niphlothecha:
כי אקח מועד	3	ci ekkach moëd
אני מישרים אשפט:		hni mēscharim ešchpot:
נמנים ארץ וכל ישיבה	4	nmogim erez vcol jofschbcha
אנכי תכנתי עמודיה		anochi ticcanti ammudcha
סלה:		felah:
אמרתי להוללים	5	immarti lahollim
אל תהלו ולרשעים		al tahollu velarschaim
אל תרימו קרן:		al tarimu karen:
אל תרימו	6	al tarimu
למרום קרנכם תדברו		lammarom karnchem tdabbera
בצואר עתק:		bzavvar atbak:
כי לא ממוצא וממערב	7	ci lo mimmoza umimmaarab
ולא ממדבר הרים:		vlo mimmidbar harim
כי אלהים שפט	8	ci elohim schophet
זה ישפיל וזה ירים:		šc jašchpil všc jarim:
כי כוס ביד יהוה ויין חמר	9	ci cos bejad jovah vjajin hamar
מלא		maleh
מסך ויגר		mēsech vajjagger
מזה		miffch
אך שמריה ימצו		ach schmarcha jimzu
ישתר		jifchtu
כל רשעי		col rifeché
ארץ: ואנכי	10	erez: vani
אגיד לעלם		aggid lolam
אזמרה לאלהי		afamra lelohé
יעקב: וכל קרני	11	Jacob: vechol karné
רשעים אגדע		rſchaim hgaddé
תרממנה קרנות צדיק:		teromamna karnoth zaddik:

Adjungam tertio loco, *nam numero Deus impare gaudet, Psalmum CXII.* quia nos quasi prehensa manu & ad cognoscenda versuum initia & ad fines eorum conspiciendos ducit, eo, quod per lusum poeticum, qualis etiam in *Psal. CXI.* animadvertitur, capita singulorum hemistichiorum ordinem litterarum alphabeticum repræsentant. Quibus indiciis cum abdita alioquin versuum initia monstrantur, non ambigi potest, ubi desinat versus & ubi consonantia terminalis quærenda sit. Fateor in hoc Psalmo negligentius tractari consonantias, dixi enim jam supra, poësin Hebræorum esse liberrimam. Et hoc præsertim loco, ubi satis jam artis in acrosticho illo adhibitum est, venia omnino danda est, si poeta sacer in ceteris ornamentis carminis sui artem insuper habuit. Plerique versus consonantia aut omni aut justa carent. Nihilo tamen secius adeo manifesta indicia poëseos harmonicæ hic & ibi passim conspiciuntur, ut ipso quasi sole elucescant clariora. Usu crebriore expertus sum, poetas sacros, etiamsi alioquin sæpe negligentiores consonantiarum, eas tamen accurate servasse vel initio carminis vel sub ejus finem. En! adverte oculos ad primos versus hujus Psalmi: vides consonare יה הללו & יהוה, item מאד & לעד, זרעו & ביתו. Demitte oculos ad inferiora & cernis voces plures similiter desinentes לעד, בכבוד & תאבד, itemque כעס & נמס justo sane sono. Dubitas lyram Davidicam odis Germanicis comparare?

הללו יה  
 אשר-איש ירא את יהוה  
 במצותיו חפץ מאד:  
 גבור בארץ יהיה זרעו  
 דור ישרים יבורך:  
 הון ועשר בביתו  
 וצדקתו עמדת לעד:

Hallelujä  
 aschre' isch jare & joväh,  
 bemizvotav Chavez meod  
 gibbor barez jihje saro  
 dor jescharim jborach:  
 hon vaoser bbeto  
 vzikato omedet laad

זרעו

זרח בחשך אור לישראל  
 חנון ורחום וצדיק:  
 טוב איש חונן ומלוה  
 יכלכל דבריו במשפט:  
 כי לעולם לא-ימוט  
 לזכר עולם יהיה צדיק:  
 משמועה רעה לא יירא  
 נכזז לכו בטח ביהוה:  
 סמוך לכו לא יירא  
 עד אשר יראה בצריו:  
 פזר נתן לאביונים  
 צדקתו עמדת לעד  
 קרנו תרום בכבוד:  
 רשע יראה וכעס  
 שניו יחרק ונמס  
 תאות רשעים תאבד:

sarach behoschech or lajſcharim  
 chanun verachum vezadik:  
 tob ifeh chönen umalve  
 jeealcel dbarav bemifſchat:  
 ci lolam lo jimmot  
 lfecher olam jijeh zaddik:  
 miſchmua raa lo jira  
 nachon libbo batüch bjoha  
 ſamuch libbo lo jira  
 ad hfecher jirhe bzarav:  
 piſſar natan laebjonim  
 zidkato omedeta laad  
 karno tarum beabod:  
 raſche jire vcaas  
 ſchinnav jachrok vnamas  
 thavat tſchaim thobed:

Habes hic ſpecimen trium pſalmorum, redonatorum  
 & terminis linearum ſuarum & conſonantiis ſuis. Huc re-  
 ferre poteris leges ſeu regulas poëſeos Hebraicæ, quas in-  
 fra ſuppeditabo: & ex iisdem ſpeciminibus poteris ipſas  
 iſtas regulas examinare ac dijudicare, tanquam ad Lydi-  
 um lapidem. Illud addo, poſtremum huncce pſalmum  
 adeo manifeſte, ut omnem dubitationem tollat, menſu-  
 ram numerumque ſyllabarum exhibere: nam omnes ver-  
 ſus conſtant quatuor pedibus jambicis, intermixtis  
 tamen ſubinde verſibus trium pedum,  
 plane ut in poëſi Germanica  
 fieri ſolet.

*Explicit diſputatio prior.*

PRAESES

## P R A E S E S

Nobilissimo Doctissimoqve  
MICHAELI GOTTLIEB TREVGIO SVO  
*s. d. p.*

Cum ante abitum ad academias peregrinas specimen edere ingenii, diligentiae ac profectuum TVORVM decrevisses, continuo mecum egisti, ut, qui semper amicus TIBI fuissẽm, eam ad rem socius atqve adjuutor essem. Non potui studiis TVIS, praesertim in re tam praecleara atqve laudabili, obsistere, statimqve, cum mihi & libertatem de quocunqve vellem argumento exponendi concessisses liberaliter, mihiqve tale feligendum esset, quod cum officii mei ratione conveniret, animum ad argumentum hoc, difficile quidem, (sed noram impar nulli ingenium TVVM esse,) dignum tamen omnium cognitione & perjuendum, appuli, idqve, quantum potui, dilucide explicare allaboravi. Hoc autem quo impeditius atqve difficilius est, quo liberius dubitationum assultibus & oppugnatorum laqueis patet, tota enim res incerta est pendensqve e conjecturis, eo uberiorem occasionem habes, vires ingenii, in certaminibus quibusqve eruditae diuturna consuetudine exercitatae, copiamqve doctrinae promptitudine opportunitateqve responsionis ac defensione expedita commodaqve declarandi; eo certius victoria magno parta laudi & commendationi apud quoslibet Musarum aestimatores erit, eo solidiorem consequeris Patronorum favorem, quippe qui non tam conciliandus TIBI videtur, quam artium morumqve elegantia dudum conciliatus, amplificatione speciminibusqve studiorum confirmandus atqve augendus. Non iam TE incitabo, nam impulsore haud indiges, ut officio TVO strenue satisfacias: neqve TE monebo, ut & in posterum, quam apud nos collegisti, diligentiae laudem tuearis, sponte enim facies: neqve hortabor, ut spem, quam de TE Patroni mecum conceperunt, expleas aliquando, scio enim TE superaturum. Nihil mihi reliquum esse video, quam ut faustas acclamationes atqve congratulationes addam, felix iter atqve fortunatum studiorum academicorum successum exoptem, TEqve, ut mei memor vivas, rogem. Vale! Scrib. Gedani die xx. Julii A. R. G. cIdo Id cc xxxxiij.

Nobi-



## TREVGIO SVO

S. D. P.

Christianus Gottlieb Rosenbergr. *Opp.*

Quamvis ego semper animi dotes virtutesque eorum suspexerim, quorum mihi familiaritate uti contigit; quamvis supremam illam amicitia legem: **perface Amicum**, semper cognoverim: nunquam tamen id a me impetrare potui, ut crederem, sanctis his amicitia legibus in eo satisfieri, si quacunq; occasione data publica amicum laude ornemus. Hoc enim si instituti mei esset, amplam sane, in Te nunc **Amice**, nactus essem materiam. Sed quid ea proferam, quorum testis, mea quidem praedicatione major, ipse existes? Doctrinae illud ingeniiq; specimen, quod ante abitum publice edendum constituisti, melius ea, quam amicus, loquetur; quorum laudationes non omni plane adulationis specie carere, propemodum mihi visa sunt. Gratulor itaque laudabile illud propositum, nihilque magis opto; sed quid optem, jam praevideo, talem Te praestitutum publice, qualem Te semper cognovi privatum. Quo fiet, ut ab omni suspicione liber illis fruar deliciis, quae ex Amici gloria enascuntur. Quid his praeterea addam nisi vora, pro itineris, studiorum, vitaeque apud-exteris felicitate. Haec enim si DEus Permagnificorum Maecenatum Munificentia, & Tibi & mihi, ulterius evenire concedat, quid amicitia nostra dulcius erit? Vale. Dab. die XX. Jul. A. O. R. MDCCXXXVIII.

Daß der Dichtkunst seltne Pracht auch dem Volk der Juden eigen,  
 Mußt Du ebenfalls mein Freund hier aus diesen Blättern zeigen.  
 Hüte Dich nur zu dem Kampfe, sieh es kommt der Feinde Schaar,  
 Gehet Dir beherzt entgegen, bietet Dir die Waffen dar.  
 Doch, Dein nie erschrockner Muth machet bald dem Streit ein Ende  
 Selbst der überwundne Feind schlägt in die ermüdeten Hände,  
 Wünschet dem wolgeübten Sieger der nach seinen Grängen ziehet:  
 Lebe so, Du Preis der Freunde, daß Dein Glück stets höher blühet.

Michael Mündel. *Opp.*

von Danzig.

Nobi-

Nobilissimo & Doctissimo  
DISSERTATIONIS HVIVS DEFENSORI,

amico suo integerrimo  
S. P. D.

Godofredus Voelker. *Opp.*  
*Ged.*

Cum in Athenæo hoc plures annos versatus, atque id tempus in studia rite collocasti, jam cupiditate exteras visendi scholas ductus, illas adire constituisti, quo studia Tua magis amplificare possis. Quanto autem moerore, quanta tristitia Tuus me afficiat abitus, vix credere poteris. Ex quo enim Tuis me annuerasti amicis, animum Tuum semper probum atque candidum experiri licuit; Amitto amicum, sed quid dico amicum, imo & familiarem, cujus consuetudo mihi æque ac aliis fuit jucundissima; quis hoc æquo ferret animo; verum enim vero spes, Te, volente summo Numine, transacto anno iterum videndi, ac amicitiam, quæ inter nos viguit, redintegrandi, me erigit. Mentionem hic facerem bene gestæ vitæ Tuæ, nisi unicuique constaret, Te diligentem, Te probitate morum conspicuum fuisse, hoc unicum tamen silentio non prætermittendum duco, nempe ingenii Tui acumen, quo mediante rerum adyta perscrutaris, cunctaque summis e suis fontibus derivas. Quod quoque præfens dissertatio, cujus Te defensorem sistis, comprobabit. Sed vereor, Amice optime, ne aliis adulator videar; Tibique, hæc præconia averfanti, displiceam. Gratulor igitur Tibi de itinere, post paucas hebdomadas suscipiendo: summum Numen Te in isto comiterur, removeat omne impedimentum, quod cursum sistere possit, largiatur valedudinem prosperam. Ita enim aliquando omni scientiarum genere auctus redibis. Vale ac fave. Dab. d. 20 Jul. A. O. R. 1744.




01 A 6613


ULB Halle 3  
002 934 248  


f

5b.







DISSERTATIO PHILOLOGICO-CRITICA  
QVA  
SENTENTIA IOANNIS CLERICI  
DE  
ARTE POETICA HEBRAEORVM  
PROPONITVR ET ILLUSTRATVR.

DEFENDENT  
DIE XIII AVGVSTI A. O. R. MDCCXLIV  
IN AVDITORIO MAXIMO  
ATHENAEI GEDANENSIS  
M. GOTTLIEB WERNSDORFF  
LINGVAE GRAECAE ET ORIENTAL. PROF. PVBL.

AC  
RESPONDENS  
MICHAEL GOTTLIEB TREVGE. MARIAEB. BORVSS.  
AMPLISSIMI DICASTERII AC VOEGEDINGIANVS ALVMNVS.

GEDANI,  
TYPIS THOMAE IOANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATVS  
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.